

tempore Occidentalibus Saxonibus paruit. Legimus enim Pendam Mercium à Cinegliso Saxonum Occidentalium Rege profligatum cum hanc ingentibus copiis circumfideret. In Merciorum tamen potestatem cum universo agro tandem devenit, & ad Anglicam usque monarchiam permanfit. Sub qua luctuosam, affligentibus Danis, fortunam subiit, à Gurmone fortasse illo Dano, qui & *Gutbrus*, & *Gurmundus* ab historicis vocatur. Nunc autem vix quarta pars intra mœnia habitatur, reliqua sunt agri compascui, ruinæque cœnobii à Saxonibus, ut ferunt, primum extructi, & ab Henrico II restaurati. In quo multos ex familia Baronum de *S. Amando* sepultos accepimus. Castrum vero quod habuit regia autoritate anno primo Henrici III dejectum fuit. Lanificio maximum quæstum faciunt incolæ, & Richardi Primi singularem in se benignitatem prædicant, qui cœnobium locupletavit, & ipsos, ut asserunt, septem adjacentibus Centuriis præfecit *ad tenendum ad feodi firmam*, ut causas cognoscerent, & multas, aliaque ex causis illis cognoscendis emolumenta sibi ipsi haberent. Rex etiam Henricus IV nonnulla indulfit privilegia ob operam strenue præstitam in Thoman *Holland* Comitem Cantii, Ioannem *Holland* Comitem Huntingdoniæ, Ioannem *Montacute* Comitem Sarisburie, Thomam *De-Spenser* Comitem Glocestriæ, & alios qui ab eo suis honoribus spoliati in ejus caput conspirarunt, & hic ab oppidanis intercepti partim interfecti, partim capite obruncati fuerunt.

Corinio relicto, Corinus flu. Isidi ad sextum milliare se confociat. Isis enim vulgo *Ouse*, ut Glocestrensis origine esset, ex hujus agri australi limite, juxta *Torleton* viculum haud procul à via illa celebri *Foss-way* venis perennibus manat. Hic ille Isis, qui postea recepto *Tama*, *Tamisis*, composito vocabulo dicitur, fluminum Britannicorum regnator, de quo non immerito dicere liceat, & serere Britanniam, & rigare, quod de Euphrate in Oriente dixerunt veteres. Poëticam vero fontis descriptionem ex *Tamæ*, & Isis connubio subjunxi, quam sive admittas, sive omittas minimi refert,

Isis fl. quod postea Tamisis.

* Foss-way.

*Lanigeros qua lata greges Cotswaldia pascit,
Crescit & in colles faciles, visura Dobunos,
Haud procul à Fossa longo spelunca recessu
Cernitur, abrupti surgente crepidine clivi:
Cujus inauratis resplendent limina topbis,
Atria tegit ebur, rectumque Gagate Britanno
Emicat, alterno solidantur pumice postes.
Materiam sed vincit opus, ceduntque labori
Artifici topbus, pumex, ebur, atque Gagates.
Pingitur hinc vitrei moderatrix Cynthia regni
Passibus obliquis volventia sydera lustrans:
Oceano tellus conjuncta marito marito
Illinc calatur, fraternaque flumina Ganges,
Nilus, Amazonius, tractusque binominis Istri,
Vicini & Rheni: sed & his intermicat auro
Vellere Phryxæo dives, redimitaque spicis
Clara triumphatis erecta BRITANNIA Gallis, &c.
Vndoso hic solio residet regnator aquarum
ISIS, fluminea qui majestate verendus
Ceruleo gremio resupinat prodigus urnam,
Intonsos crines ulvis & arundine cinctus.*

*Cornua cana liquent, stuantia lumina lymphis
Dispergunt lucem, propexa in pectore barba
Tota madet, toto distillant corpe gutta:
Et salientis aquæ prorumpunt undique vena.
Pisciculi liquidis penetrantibus undique ludunt,
Plurimus & cygnus niveis argenteus alis
Per volitat circum, &c.*

Quod ad Glocestriæ Comites attinet, quidam Guilielmum *Fitz-Eustace*, tanquam primum Comitem nobis obtruserunt, quis hic fuit nondum legendo comperi, nec unquam natum fuisse credo. Quod vero comperi, lectori non subducam. Sub Normannorum ingressum, Bithricum Saxonem Glocestriæ Dominum fuisse legitur, quem Matildis Guilielmi Normanni uxor sprete injuria formæ exulcerata (ejus enim nuptias prius aspernatus erat) infestissime exagitavit, & cum in vincula tandem conjecisset, ejus possessiones à victore Rege Robertus *filius Haimonis* Corbulensis, vulgo *Fitz-Haimon* dictus accepit, qui in prælio *contio tempora ictus hebetatus ingenio, non pauco tempore quasi captus mente supervixit.* Hujus filiam *Mabiliam* (quæ aliis *Sibylla*) Robertus Henrici Primi filius nothus in uxorem duxit, primusque Glocestriæ Comes factus, vulgo scriptorum *Glocestria Consul* appellatur, vir si quis alius eo seculo, excelso atque invicto animo & qui nunquam rebus asperis de gradu dejectus pro sorore Matilda contra Stephanum Angliam occupantem res magnas & arduas magna cum laude gessit. Ille hunc honorem Guilielmo filio reliquit, cujus tres filie in totidem familias hanc dignitatem intulerunt; maxima natu *Isabella* Ioannem Regis Henrici Secundi filium hoc titulo ornavit, sed is postea cum regni compos esset, illam repudiatam pro 20000 *Marcis* dedit *Galfredo de Magnavilla* filio *Galfredi filii Petri* Comitis *Essexiæ*, quem Comitem Glocestriæ dixit. Illo sine sobole mortuo, *Almaricum* * *Ebroicensis* Glocestriæ Comitem instituit, utpote filium *Mabilie*, quæ filia erat Guilielmi illius minima natu. Sed *Almarico* sine prole itidem defuncto, ad *Amiciam* filiam natu minorem devenit hæreditas, quæ *Richardo de Clare* Comiti *Hertfordiæ* elocata *Gilbertum de Clare* Glocestriæ Comitem peperit, cujus filius *Richardus*, nepos *Gilbertus* secundus, & pronepos *Gilbertus* tertius, qui in prælio ad *Sterling* in Scotia cecidit, ordine successerunt. Attamen dum hic *Gilbertus* tertius adolefceret, *Radulphus de Monte Hermerii*, qui clandestinis nuptiis *Gilberti* secundi viduam, *Regis Edwardi Primi* * filiam in uxorem duxerat, Comitis Glocestriæ titulū aliquandiu gessit, cumque *Gilbertus* annum ætatis xxxi explefset, eum exiit, & inter Barones accensetur. Post *Gilbertum* tertium sine liberis demortuum *Hugo Despenser* vulgo *Spenser junior* à scriptoribus dictus est Comes Glocestriæ, eo quod primogenitam ejus *Gilberti* tertii sororem duxerat. Verum illo à Regina & proceribus in odium *Regis Edwardi Secundi*, cui erat in deliciis, suspensio, hunc honorem *Hugo de Audeley*, qui alteram duxerat sororem gratia *Edwardi III* accepit. Post ejus obitum in Ducatum hunc titulū erexit *Rex Richardus Secundus*, tresque Duces, unumque Comitem interpositum habuit, quibus omnibus

Glocestriæ Comites.

Hist. Monast. Tewkesbury.

Fitz-Haimon Guil. Malmes.

Pat. 15. Ioan. R. 4. * D' Eustace.

Glocestriæ & Hertfordiæ Comites.

* Ioanna D' Acres dicta quia Aconi nata. Tho De la Mare in vita E. 2.